



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Barnabas 11. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Nec cedendum nec recedendum, etiam si gravis tentationum fervor utriusque hominis statum affixerit: eligamus potius ardere, quam cedere. S. Bern. serm. 3.  
de Vig. Nativ.

## S. BARNABAS APOST. II. Junii.

**H**abuit BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Judaicâ Gamaliel; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquandi comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut cælo delapsa Numinis excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Jovem venerata. Et profectò, et si, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, Deumque civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facile hominem non Deum esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis exercitus, saxis ultimo obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholica etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertium visus monuit, uti communis causæ patrocinium Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & unum volumen, in quo D. Matthæi

Evangelium exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè gemmam esse ratus.  
Ex act. Apost. Baron. & Lipp.

*Agnosce dignitatem tuam, & divine consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: memento cuius capit is & corporis sis membrum, & quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei regnum & lumen. S. Leo serm. de Nat. Dom.*

## S. ONUPHRIUS CONF. 12.Iunii.

**O**NUPHRIVM toto hirsutum corpore, & raro humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstros, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externâ specie substitisset. At ubi congressus vitæ genus moresque didicit, dubitavit hominémne potius an Angelum diceret. In Thebanâ regione monachum induitus, cum de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus est. Inde illi cibus, menstruo proventu; panem & aquam Angelus afferebat quotidianus minister. Octavo quoque die, ut delicatius vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit credo ONUPHRIVS hâc Cælitum amicitiâ beatus hominum oblivisci: certè septuaginta totos annos mortalem non vidit, donec, quem nominavimus Paphnutius Dei iussu moriturum invisit, ut è silvarum latebris tam rara virtus eo præcone pro traheretur.